GEORGII HENR. AYRERI D.

ORDINIS IVRID. H. T. DECANI

DE

RECVRSV AD COMITIA

PER

CAPITVLAT. CAES. NOVISS.

RESTRICTO NON SVBLATO

COMMENTATIO PROLVSORIA

LECTIONIBVS HIBERNIS




PRAEMISSA.

GOTTINGAE,

LITERIS IO. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLTZII ACAD. TYP.

CIↃ IↃ CC XLIII.



Inter alia plura, quae sapientissimo S. R. I. Electorum consilio in Capitulatione nouissima nouiter sancita atque ab Augustissimo Imperatore Carolo VII. sanctissime promissa sunt, memoratu inprimis dignus est tenor Articuli XVII. per quem & ordinaria Supplicationis ac Reuisionis beneficia, contra sententias a summis imperii tribunalibus, iudicio Caesareo aulico scilicet & camera imperiali, latas, partibus litigantibus permissa, suis, ne lites fiant immortales, limitibus circumscribuntur, & remedio illi extraordinario modus ponitur, cuius ope tum superiori, tum nostro saeculo plures imperii status aliique etiam, de iudiciis istis supremis conquerendi caussam se habere, existimantes, ad ipsa imperii comitia recurrerunt. Sicuti autem non omnes cum querelis suis ibi admissi, sed plerique inde repulsi fuerunt; ita eo notabilius in iure nostro publico huius Recursus est nomen, quo frequentioribus acrioribusque procerum imperii con-

Prooemium, in quo scribendi occasio instituti que ratio exponuntur.

tentionibus illud fuit celebratum. (*) Neque viri docti & publici iuris prudentes, suam hac in parte operam desiderari, passi sunt, quin potius plures argumentum hoc scriptis suis vel in transcursu solum, vel ex professo illustrandum sibi sumserunt, quos infra passim nominandi nobis dabitur locus. Sed omnium fere diligentiam hic superauit, qui de iure publico Germaniae iam plus vno nomine praeclare meritus est, Cel. MOSERVS. (**) Is enim non solum casus, in quibus caussae etiam iustitiae ad conuentum imperii delatae sunt, ex actis publicis studiose collegit, sed etiam, statu controuersiae rite antea formato, quae in vtramque partem adferri solent, argumenta sigillatim excussit, leges imperii, quae Recursui ad comitia vel fauere, vel adversari videntur, probe examinauit,

(*) Vid. LONDORPII *Acta publ.* T. V. L. I. c. 104. p. 315. sqq. THVCELII Reichs-Staats-Acta des XVIII. Saec. T. I. c. 3. T. II. c. 3. T. IV. c. 17. T. V. c. 7. SCHWEDERI *Theatrum praetensionum & controuersiar. illustr.* T. I. p. 617. T. II. p. 510. & 627. sq. STRVVII Historie der Religions-Beschwerden, P. II. p. 333. & 364. LVNIG in der Grnndveste Europ. Potenzen Gerechtsame T. I. p. 228. Monathl. Staats-Spiegel, Fabri Staats-Cantzeley, *Electa iuris publ.* Reichs-Hofr. Conclusa, Reichs-Fama, passim in variis harum collectionum Tomis. *Selecta* iuris publ. nouissima P. I. c. I. 2. 4. 7. & 17. item P. II. c. 5.

(**) In der Historisch- und Rechtl. Betrachtung des Recursus von denen höchsten Reichs-Gerichten an den Reichs-Conuent.

nauit, nihilque fecit reliqui, quod ad ſtabiliendum ſtatibusque imperii aſſerendum hoc libertatis Germanicae aſylum pertineret. Etiamſi igitur valde mihi verendum ſit, ne, quod aliis, actum agere ſuſcipientibus, exprobrari ſolet, idem mihi quoque obiiciatur, multisque conatus hic meus fruſtraneus atque inutilis plane videatur; etiamſi porro ipſa grauitas argumenti, quoad applicationem inuidioſi maximisque difficultatibus implicati, a ſcribendo me potuiſſet deterrere: quum tamen nondum omnia ita exhauſta fuerint, quin, meſſe licet iam facta, vel ſpicilegii aliquid ſuperſit, ſed nouam potius ſegetem & materiam diſputationis hic ſuppeditet lex imperii fundamentalis recentiſſima; nec inopportunum, nec a ſtudiis meis alienum putaui, hac inprimis tempeſtate, cum ad praelectiones iuris publici me accingo, proluſionis loco, quaedam de controuerſo illo & pleno diſſenſionis Recurſu ad comitia commentari. Qua ipſa in commentatiuncula ſicuti ab omni partium ſtudio longe remotus exempla noſtrae & ſuperioris aetatis ſtudio praetermittam; ita tantum, quid de vſu vel abuſu huius remedii, ſecundum vniuerſalis iurisprudentiae placita, reip. German. habitum ipſasque imperii leges ſtatuendum ſit, diſpiciam, vt medium inter duo extrema teneam, neque vel ſummorum imperii tribunalium auctoritati, vel principum Germanorum libertati quidquam detraham, ſed ſuum vtrisque tribuam, ſummo-

pere annisurus. Quo minus autem ab hoc aberrem scopo, rem paulo repetere altius iuuabit.

§. I.

In rep. iudices non minus, quam leges, sunt necessarii.

Non solum legibus armatam, sed etiam armis ac potestate iudicum decoratam esse oportere quamuis remp. bene ordinatam, nemo facile infitias iuerit, qui, ad supremam illam legem, salutem, puto, & tranquillitatem reip. animum aduertens, perpenderit, frustra reges ac principes praecipere, nisi simul constituant, qui ciues ad obedientiam adigant, inutiles esse sanctiones atque constitutiones omnes, etiam sapientissimas, vbi magistratus deficiunt, qui eas accurate custodiant transgressoresque promeritis adficiant poenis. Quantumcunque adeo in contexenda historia iuris Rom. quod passim obseruant eiusdem scriptores recentiores, hallucinatus fuerit POMPONIVS, celebratissimus Enchiridii, cuius fragmentum in l. 2. D. de O. I. exhibetur, conditor; vel inde tamen summam laudem meruisse visus est viris summis (*), quod iudiciorum in omni rep. ineuitabilem necessitatem luculentissimis verbis complexus est. *Quantum est enim*, ait, *ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura regere possint?* cui effato plane sunt consentanea, quae Imperator IVSTINIANVS Nou.

(*) Vid. ERICVS MAVRITIVS in Diss. *de Sacr. Caes. Maiest. & imperii iudicio aul.* §. 1. quae inter *Dissertationes* eius *& opuscula*, iunctim edita, extat pag. 388.

Nou. CLXI. pr. de inutilitate legum, cuſtodibus ſuis ac vindicibus carentium, praefatur. Non in ſolis igitur Graecorum, Romanorum aliarumque gentium moratiorum rebuspubl. tam varia magiſtratuum iudiciariam poteſtatem exercentium genera, ſed nullum quoque populum fere tam barbarum tamque immanem deprehendimus, quin ſuis ſit iudiciis aeque, ac legibus, inſtructus. Neque ipſis maioribus noſtris, apud quos tamen plus valuiſſe bonos mores, quam alibi bonas leges, ex TACITI libello aureo de *moribus Germ.* decantatiſſimum eſt, ſuos defuiſſe iudices, inter omnes rerum Germanicarum & hiſtoriae patriae non plane ignaros conſtat.

§. II.

Quo pluribus a iudicibus cauſſae rite expenduntur, eo melius procedunt.

Sed quantumuis neceſſarii ſint in ſocietate ciuili iudices; quantamcunque vtilitatem reip. adferat iudiciorum, curiarum ac tribunalium multitudo; ſiquidem, quo plures ſunt, qui cauſſas controuerſas diiudicent, eo promtius iuſtitia, ne pereat mundus, fieri faciliusque ſuum cuique tribui poteſt; mirum tamen quantum nocet, vti ordinis in litibus tractandis turbatio, ita in illis decidendis nimia & procraſtinatio & feſtinatio, terminorum item tum partibus litigantibus, tum iudicibus poſitorum, confuſio atque transgreſſio.

§. III.

§. III.

Hinc varia & suspendendae & ad alios iudices deoluendae litis inuenta sunt media.

Quae omnia, quantum quidem per rerum humanarum fragilitatem atque imbecillitatem fieri poteſt, euitari quum maxime interſit reipublicae, ne ſcopo ſuo, qui in recte vnicuique adminiſtranda iuſtitia conſiſtit, excidant iudicia, in ciuitatibus conſtituta; ſalutari conſilio in omni ordine iudiciario receptum eſt, vt lites, inprimis vbi de illis definiendis agitur, ſuspendere, & non ſolum cauſſae ſuae momenta coram eodem iudice denuo dilucidius proponere eorumque diſcuſſionem accuratiorem eius curis poſterioribus relinquere, ſed etiam ad alios iudices deuoluere, atque ſecundum gradus, quibus ſibi inuicem ſunt ſubordinati, ab inferioribus ad ſuperiores deferre liceat. Non minus enim vere, quam appoſite, in hanc rem & ad mentem iuris canonici (*), ſcribit magni nominis ICtus: (**) *Per plura iudicia cauſſas ideo decurrere vtile atque neceſſarium eſt, quo multorum iudiciis ventilata veritas clarius aperiatur, &, quod a pluribus quaeritur, facilius inueniatur.* Vnde tot remedia iuris tam ordinaria, quam extraordinaria, inuenta & ſub notiſſimis Reuiſionis, Supplicationis, Leuterationis, Appellationis, Reſtitutionis in integrum, querelae nullitatis, Syndicatus & ſi quae

(*) Vid. c. 3. D. 20. & c. 21. X. de *off. & poteſt. iud. deleg.*

(**) MEVIVS P. I. D. 259. n. 9.

quae ſunt alia, nominibus in forum introducta ſunt, quae hic ſigillatim percenſere non fert noſtri ratio inſtituti.

§. IV.

Facile quis propterea iurisprudentiam noſtram naeui haud leuis accuſet, cum tot morarum indulgentia lites, quas tamen ocyſſime finiri expedit reip., admodum procraſtinentur. Verum enim vero quum non minus interſit, cauere, ne immerentes nimia opprimantur feſtinatione, & vtramque partem ſatis ſuperque audiri ius & aequitas ſuadeant, ſpe ac praeſumtione certius ad metam optatam, iuſtitiam ſcilicet, perueniendi, tarditas illa & cunctatio, qua res collapſurae ſaepe reſtituuntur, facile compenſantur. Sicuti tamen in rebus plerisque aliis; ita hic etiam hominum vitio maximus ſeſe abuſus exſerit. Vnde, ne in infinitum lites extrahi queant a refractariis, ſed vt ſua tandem conſtet rebus iudicatis auctoritas, certi a ſumma in qualibet rep. poteſtate fines, quos transgredi nequeant litigantes, conſtituendi ſunt, adeoque, praeter inferiora Themidis ſacraria, ſummum aliquod tribunal ſtabiliendum, quod vltimam rei cognitionem atque deciſionem habeat, a nemine amplius ſiſtendam interuertendamue.

In ſummo tamen aliquo iudicio tandem ſubſiſtendum.

§. V.

Iudiciorum in Germania habitus antiquus & nouus strictim exponitur, & summa imperii tribunalia indicantur.

Quae iudiciorum in Germania facies inde ab antiquissimis temporibus ad nostram vsque aetatem, qualisue iudicum subordinatio fuerit, longum foret hoc loco ex historiarum monumentis commemorare. Totum quoque hunc campum iam dudum emensus est vir, de iurisprudentia publica & priuata non minus, quam de antiquitatibus Germanicis & omni re literaria, immortaliter meritus, HERM. CONRINGIVS (*). Id tantummodo hic obseruasse in sequentibus nobis profuerit, caussas etiam iustitiae olim in comitiis tractatas & controuersias principum maximi quoque momenti in iudicio parium (**), intra breue saepius temporis spatium, simplici ac plana ratione & leuato velo, sine omnibus ambagibus, ex aequo &

(*) In Exercitat. *de iudiciis reip. Germ.*

(**) De quo, praeter IOH. VOLCKM. BECHMANNVM, IOH. CONR. SONDERSHAVSEN & WINTHERVM, vid. SCHOTTEL. de *singular. quibusdam & antiquis Germaniae iuribus*, cap. V. Vom Fürsten-Recht, & conf. STRVV. *de iudiciis Heroic.* Add. Ill. IOH. IAC. MASCOV. in eleganti diss. de *paribus curiae.* Facit quoque huc breuis, sed tersus, Ill. BVDERI ad *ord. iud. cam.* P. II. Tit. 7. commentarius *de Imperatore ipso iudice*, in *Amoenit. iur. publ.* obs. VII. pag. 148. sq. ibique laudatus V. C. CHRIST. GOTTL. HALTAVS in *Memoria iur. publ. certi S. R. I. ex medio aeuo ope diplom. eruta*, Sect. III. §. 2. sq.

& bono decisas fuisse (*). Quemadmodum vero neminem, qui memoriam superiorum saeculorum recolit, latere potest, successu temporis sensim pedetentimque a priscis moribus recessum esse, ac turbulento inprimis reip. statu, quo non ita crebro congregati erant imperii proceres & aulicum imperii tribunal raro litigantibus patebat (**), partim iudicia Austregarum (***) inualuisse, partim caussas quam plurimas, inter potentiores praesertim, armis magis, diffidatio-

(*) Vid. LVDOLPH. HVGO in diss. sub praesidio HENR. BINNII Helmst. 1661. hab. & Lips. 1736. recusa *de statu regionum Germ.* c. IV. §. 36. ibique cit. LEHMANNVS *Chron. Spir.* L. II. c. 39. §. zum zehnden. Add. Scriptores, qui ex instituto de Comitiis & magno quidem numero egerunt. Conf. quoque GERKEN s. PAVL. HENNING. in *otio Vienna Ratisb.* s. de *voto consilii Caes. imp. aul. ad Sacr. Caes. Maiest. indeque sumto Recursu in caussis iustit. ad comitia.* c. XIV. § 2. & *Quinquertium Camer.* Quaest. I. in Append.

(**) Vid. DATT. de *pace imp. publ.* L. I. c. 5. n. 36. sqq. & c. 27. n. 60.

(***) Quae plures data opera scriptis suis illustrarunt. Vid. inprimis HENR. COCCEIVS de *Austregis*, item *de Notione & executione Austregar.* GEORG. SCHVBARDVS de *Austregis imperii Rom.* IOH. STRAVCH. de *Austregis*; SAM. STRYCK de *foro*, item *de processu Austregar.* TEXTOR de *foro Austregali.* Add. Ill. KOPP. von denen Obmannen der alten Teutschen; in denen auserlesensten Proben des Teutschen Lehnrechts. Cel. SCHOEPFIVS de *Arbitris necessar*; HILLER de *liberar.* S. R. G. I. *Ciuitatum iudicio amicabili*, apud MO-

dationibus & iure manuario, quam iudiciis alias consuetis, agitatas fuisse; ita post receptionem iurium peregrinorum potissimum, introductam cum legibus papalibus impeditam illam, morosam & ab antiqua simplicitate longe diuersam procedendi rationem, indeque natam litium diuturnitatem, fieri amplius non potuit, vt priuatorum caussae forenses in conuentibus imperii ad breuius solummodo tempus durantibus & vix ad peragenda, propter quae tamen praecipue instituebantur, negotia publica sufficientibus, ventilarentur. Quare ipsa necessitate exigente & vtilitate suadente, ne tempus, deliberationibus reip. caussa suscipiendis dicatum, priuatis litibus diiudicandis absumeretur, ea temporibus Maximiliani I. Caroli V. & Ferdinandi I. rei iudiciariae mutatio contigit, (*) vt suprema iuris dicundi potestas summis imperii tribunalibus, camerae & iudicio aul. committeretur, nihilo tamen minus ephoria, siue suprema inspectio in administrationem iustitiae, id quod vel Deputationes Visitationesque imperii (**) satis testantur, Imperatori & imperio reseruaretur.

§. VI.

SERVM in *Syntagm. Differt. Select. iur. publ.* N. XVII. WALDSCHMIDT de *pactis Ganerbinat.* in App. n. 1. sqq. & *de Austregis Comit.* Differt. III. SENCKENB. *Flores sparsi ad Ius Austregarum.*

(*) Conf. BERNH. L. B. DE PLESSEN *Comment. Hist. pol. iurid. de Libertate Germ.* cap. III. §. 22.

(**) Vid. Recessus Deput. & Visit. & conf. protocolla Deputator. imp.

§. VI.

Ab his, quae ſumma in Germania audiunt, iudiciis ad alium adhuc iudicem prouocare & incongruum atque contradictorium, &, cum noua poſt tot alias iuris obtinendi ambages mora parti victrici maximo ſaepe obiiciatur cum ipſius diſpendio, iniuſtum videtur. Reuera tamen id fieri, experientia docet, ac Recurſus tam ad curiam Rom., quam ad comitia imperii, ſatis luculenter oſtendit

A quibus vlterius prouocare nefas.

§. VII.

Prouocationes ad ſedem Rom. nunciosque Apoſtolicos iam nihil moror, cum dudum exploſa ſit ſuperſtitioſa illorum opinio, qui, Imperatorem dignitate, poteſtate atque auctoritate pontifici Rom. poſtponentes, omnis iurisdictionis aquam, vt verbis vtar nonneminis, ad quem prouocat LIMNAEVS (*), PETRI ſcilicet DE FERRARIIS, cuius nomen nobis indicat Perill. Dn. Cancellarius BOEHMERVS (**), in molendinum papae deriuare conati ſunt. Quidquid etiam vſurpationis papalis hac in parte

De Recurſu ad ſedem Rom. incidenter.

imp. ad punctum iuſtitiae, quae exhibet Perill. ac Generoſ. Dn. de MEIERN T. II. *Actor. comit. Ratisb.* Add. Eitel Fried. von Herdens Grundveſte des Heil. Röm. Reichs P. III. c. V.

(*) *In iure publ.* L. II. c. 9. n. 94.

(**) I. E. P. L. 1. Tit. 30. §. 16.

parte remansit, sanctionibus poenalibus (*) aduersus temerarios eiusmodi prouocatores, in capitulatione quoque nouissima Art. XIV. repetitis, cohibetur (**).

§. VIII.

Recursus ad comitia vnde dicatur & quid sit, explicatur.

An vero & quousque Recursus a summis istis tribunalibus ad ipsa comitia imperii pateat, anceps est quaestio, magnis animorum motibus saepe in vtramque partem disputata. Dici Recursum a verbo recurro, non est, quod cum nouissimo iuris publici institutore, Generosiss. Dno. IOH. MAXIMIL. a GVNDERRODE (***), moneamus, quum, vnde dicatur, in oculos statim cuique incurrat. Neque, circa ipsam vim vocis vt subsistamus diu, necesse est, quoniam Latini sermonis haud imperitos fugere nequit, vocabulo Recursus non simplicem semper citatumue reditum, sed refugium subinde ad locum tutum, vbi quis auxilium quae-

(*) Vid. *ordinat. cam.* p. III. T. 51. & conf. R. I. nouiss. §. 164.

(**) Conf. SEILERVS in *Decis. s. praeiud. cam.* Tit *Appellare quibus & a quibus &c.* FABRI Staats-Canzeley T. IV. n. 1. BILDERB. Teutscher Reichsstaat P. I. cap. VI. §. 4. extr. Cel. KEMMERICH in diss. *de iudiciis, quam vocant, Nunciaturae Apostol.* Add. Conclusum iudicii Caes. aul. quod exhibetur in Appendice, Commentationi nostrae de *Iure primar. precum* adiecta, N. XLVIII. §. 4 & 5.

(***) In der Abhandlung des Teutschen Staats-Rechts L. XI. cap. 7. §. 2.

quaerit ſalutique ſuae conſulere ſtudet, ſignificari, quod vel ſolus apud Livivm (*) locus ſatis commonſtrat. Longe vero meliori iure Auguſtiſſimum totius imperii Rom. Germ. ſenatum, qui nomine comitiorum venit, quam quemquam alium in ceteris regnis, *refugium innocentiae & robuſtiſſimum repagulum inter potentiam magnatum & imbecillitatem pauperum, cor & clypeum imperii, ac quandam quaſi effigiem priſcae illius & veteris maieſtatis, omni veneratione a ſummis infimisque* proſequendae dici poſſe, contendit Arvmaevs (**). Non poterat adeo commune illud vltimumque litigantium a ſummis imperii tribunalibus, in lite vel tractanda vel decidenda illegitime forte verſatis, ad Imperatorem & vniuerſos imperii ordines, melioris iuris conſequendi, & damni, ad alia quoque reip. Germ. membra inde redundantis, auertendi cauſſa perſugium, commodiori aptioriue, quam Recurſus, nomine denotari.

§. IX.

Quid igitur ſub illo intelligendum ſit, quid minus, facile ex dictis adparet. Non enim remedia, quae adfine aliquid habent cum Recurſu ad comitia, huc trahenda eſſe, cum ſupra laudatus Moservs (***), tum Ill. Rechenber-

Remedia Recurſui adfinia breuiter recenſentur & ab illo diſtinguuntur.

GIVS

(*) L. XXVI. c. 42. extr.

(**) In *Comment. de Comitiis Rom. Germ. imperii* cap. I. n. 8.

(***) l. c. cap. I. §. 2. ſqq.

GIVS (*), acutiſſimus iuris tam publici, quam priuati, interpres, probe monent. Neque adeo beneficium Reuiſionis, in camera imperiali, neque remedium Supplicationis, in iudicio Caeſ. aul. vſitatum huc ſpectare, inde patet, quod, etiamſi vtrumque melioris iuris obtinendi gratia ſoleat adhiberi, neutrum tamen ad ipſum imperii conuentum dirigitur, ſed alterum apud Reuiſores, ad Reuiſionem actorum cameralium deputatos, inſtituendum eſt, alterum intra ipſius tribunalis cancellos terminatur. Nec illi caſus ad Recurſum pertinent, vbi Imperator, vel imperium immediate imploratur, atque iurisdictio ſummi tribunalis nondum eſt fundata; aut, ſi ad preces alicuius comitia, vel vnum alterumue corpus ordinum, in illis congregatorum, pro cauſſa rite audienda, promouenda iuſtitia, vel executione acceleranda officia ſua interponat; quandoquidem partim nemo, quamdiu iudicii alea nondum iacta eſt, inuitus cogitur litigare, partim ſola eiusmodi commendatio iurisdictionem non intercipit, ſed iudices tantum ſtimulat officiique ſui monet. Syndicatus vero querela, qua ſententia, ex dolo, corruptione, affectu vel ſimilibus cauſſis nulliter & inique lata, impugnatur, ideo ſub hocce remedio comprehendi nequit, quia nec illa cognitionem cauſſae ad comitia transfert (**), vti honoratiſſ. collega noſter, Dn. BOEH-

(*) In programmate eruditiſſimo, *quo anno* 1737. *ſummos in vtroque iure honores duobus Candidatis tribuendos* intimauit, pag. 10. ſqq.

(**) Vid. R. I. Ratisb. de 1532. Tit. 3. Cammer-Gericht betreffend, §. 17.

Boehmervs, peculiari opera, huic argumento destinata, proxime pluribus exsequetur. Neque Recursus dici potest, quando vel Imperator caussam, in iudicio aul. pendentem, sponte ad comitia defert, quod ipsi secundum I. P. O. Art. V. §. 54. in *caussis maioribus* praecipue, *& vnde tumultus in imperio timeri possent*, *liberum est* (*), vel camera imperii ex officio de lite aliqua ad illa refert; siquidem, vtramque relationem iudicis spontaneam & remedium iuris, a partibus instar querelae electum, longe inter se differre, quilibet videt.

§. X.

Recursus ad comitia regulariter est illicitus, nec pro vltima instantia habendus.

Tale vero remedium regulariter pro illicito habetur, nisi leges imperii illud vel expresse, vel tacite permittant. Haud igitur immerito Happelivs (**) censuram incurrit Ill. Kippingii (***), quod Recursum ad comitia vltimum iuris ac iustitiae auxilium adpellauit. Neque enim adeo recte sentire videntur, qui comitia, ad quae fit Recursus, loco supremae & vltimae instantiae habent, atque ex conuentu

(*) Conf. *Electa iur. publ.* T. II. p. 939. sq.

(**) In diss. *de Recursu ad Caes. Maiest. vel comitia vniuersalia*, Thes. III.

(***) In diss. de *Setis supremorum iudicior. Imp. Rom. Germ.* cap. IV. §. 3.

tu imperii ſupremum appellationum tribunal faciunt (*). Quamuis enim, vti iam ſupra indicauimus, negari non poſſit, in comitiis olim etiam cauſſas iuſtitiae agitatas & frequenter ad ſummum Imperantem, ob protractam inprimis & denegatam iuſtitiam, prouocatum fuiſſe (**); non minus tamen conſtat, iam dudum, quod itidem in praecedentibus dictum eſt, ne res priuatae publicis, publicae priuatis amplius miſcerentur, ſed ſeparatis vtraeque deliberationibus adſtringerentur, ſupremam iuris dicundi auctoritatem ſummis imperii tribunalibus relictam eſſe, atque hinc vltimam etiam cauſſarum litigioſarum cognitionem ad ea ſpectare, quae, donec Imperatori & imperio, vnde hanc poteſtatem ſuam acceperunt, aliud videatur, ipſis auferri nequit. Clare hac de re diſpoſitum legimus in R. I. nouiſſ. §. CLXV. & CLXVI. dignaque imperatoria maieſtate vox eſt, qua, ſe auctoritatem vtriusque tribunalis intemeratam conſervaturos neque illorum proceſſum vlla ratione impedituros eſſe, & praecedentes Imperatores, & Auguſtiſſ. Carolus VII. nuper, ſub iurisiurandi religione, aſſeuerarunt (***).

§. XI.

(*) Quem errorem notauit AVCTOR *rerum comitialium valde peritus* apud Ill. ESTOR. de *iudicio procerum* in Append. *de ordinum perfugio ad conuentum imperii, quod Recurſum vocant* §. XV.

(**) Conferri hic meretur, qui multa cum induſtria & magno eruditionis adparatu hanc rem pertractauit, coniunctiſſimus collega, Vir Ampliſſ. GEORG. LVD. BOEHMER, in diſſ. inaug. de *prouocationibus iur. Germ.*

(***) Vid. Capitulat. Art. XVI. §. 7. & 16. Art. XVII. §. 1.

§. XI.

Dantur tamen variae exceptiones a regula, quas aliter determinant alii.

Non omnimodo tamen prohibitum esse Recursum ad comitia, exceptiones ostendunt, ipsis imperii legibus comprobatae, regulamque in casibus non exceptis firmantes. Quinam vero sint illi casus, qui vel expresse, vel tacite excipiantur, de eo non conuenit inter iuris publici doctores. Alii enim nimium arctis illos constringunt limitibus, alii tam late extendunt, vt regulam, secundum quam prohibitus esse censetur Recursus, paene totam subuertant. Inter iuris cameralis scriptores B. LVDOLPHVS Recursui locum dedit (*); *quando iudex supremus, aut non potest, aut non vult suo fungi officio.* Quod cum nimis generaliter dictum videatur, maiorem omnino gratiam iniit ab harum rerum cupidis MOSERVS (**), quod illum in plures classes diuisit & variis vnamquamque illarum exemplis illustrauit. Sed nimium angustis Recursum cancellis ab eo includi, existimat Dn. de GVNDERRODE (**), nihil interesse, contendens, mediatusne, an immediatus sit Recurrens, vtrum res ad comitia deferenda ipsum solum, an alios simul

(*) In *Commentat. System. de iure cam.* Sect. I. §. 1. p. 18. sq. & in App. III. §. 1. p. 129.

(**) l. c. cap. I. §. 9. sqq. & cap. 2. sq.

(***) l. c. §. 9.

mul ſtatus reſpiciat, publicine, an priuati ſit iuris, ſed ad eam potiſſimum quaeſtionem redire totam Recurſus cauſſam, an in caſu ſubſtrato iuſtitia fuerit protracta, vel denegata? Qua in re annon ipſe pariter, atque AVCTOR anonymus, ab ipſo in partes ſuas vocatus, atque ab Ill. ESTORE Appendiculae loco productus, nimis longe proceſſerit, aliis diiudicandum relinquo. Sicuti vero, hic ſuo quemlibet abundare ſenſu, facile patior; ita iis praeſertim, qui, ad negotia publica admiſſi, rerum comitialium peritiores ſunt, quam qui in ſcholarum vmbraculis verſantur, lubens palmam do, niſi me opinio fallit, veniam erroris, in excutienda quaeſtione ſatis ſpinoſa & perplexa forte irrepentis, ab aequis rerum exiſtimatoribus haud difficulter impetraturus.

§. XII.

Ad duas claſſes reducuntur caſus, in quibus Recurſus locum habet.

Qua ſpe freto, periculum mihi facere licebit, an media, qua ire ſemper tutiſſimum eſt, incedens via metam contingere queam propoſitam. Ad duas autem claſſes mihi videntur commode reduci poſſe caſus Recurſus omnes, qui vel in legibus imperii diſerte ſunt expreſſi, vel per bonam, vt aiunt, conſequentiam ex illis elici ſolent. Altera comprehendit eos, qui ad ipſam deciſionem cauſſarum iuſtitiae ſpectant, illos altera, qui ad grauamina de admniſtratione iuſtitiae pertinent. De illa, quae

quae casus, legibus expresse determinatos, continet, primum dispiciam, alteram, vt pote casus, qui tacite tantummodo permissi censentur & ad obseruantiam imperialem referuntur, complexuram, deinde perlustrabo.

§. XIII.

Prima classis continet casus, per leges imperii expressos, & quidem Primum, vbi de interpretatione legis dubiae quaeritur.

In prima classe primo collocandus est loco casus, vbi de ambiguo & latente legis imperialis sensu inter partes litigantes disceptatur. Quemadmodum enim interpretatio legis dubiae non vltima potestatis legislatoriae pars communi doctorum consensu habetur; ita, illam non iudici, cuius vices solummodo summa imperii tribunalia explent, sed legislatori, quem, secundum reip. Germ. formam, Imperator & proceres imperii simul constituunt, competere, tralatitium est. Quid? quod ex hac ipsa ratione per R. I. de A. 1654. §. 191. ne quidem conuentibus deputationum, quibus tamen inspectionem in summa imperii Dicasteria demandatam fuisse, supra tradidimus, casus dubios ex Instrumento pacis interpretari permissum esse, constat (*). Expresse etiam in Capitulatione nouissima Art. II. §. 5. sancitum est, vt interpretatio modo dicti

(*) Conf. CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI Diss. iur. publ. *de ratione interpretandi leges imperii Rom. Germ. publicas* cap. V. §. 7.

dicti Inſtrumenti pacis Weſtphalicae aeque, ac aliarum imperii conſtitutionum, nec iudicio Caeſ. aulico, nec camerae imperiali, relinqui debeat, ſed ab vniuerſo imperii ordinum conſenſu pendere. Sed probe in hanc rem contra BVCKISCHIVM, bene hic depexum, obſeruat HENNINGESIVS(*), interpretationem non tam cauſſae, quam legis potius, id eſt, conſtitutionum ac receſſuum imperii, ad comitia remittendam eſſe, vnde ſimiles forte cauſſae, alias in iudicio ſecundum reliqua iura communia deciſae, praeiudicium quidem, vt ICti loqui amant, in iudicando, nullam vero in ſtatuendo interpretandoue iure, quippe quod Imperatoris & ſtatuum imperii eſt, authenticam deciſionem inducunt, qua plane opus non foret, ſi ex iudicum ſententiis illa poſſet hauriri. Dubium quoque, vt recte monet Ill. RECHENBERGIVS (**), circa explicationem legis ſubortum, non putatiuum, aut adfectatum, ſed verum atque ita comparatum eſſe oportet, vt non aliter, quam per authenticam interpretationem, tolli queat. Quodſi enim ad comitia recurrere liceret, quotiescumque inter partes litigantes de genuina legis alicuius mente, quam ſemper vtraque in rem ſuam detorquere ſtudet, ſerta contentionis reciprocatur, ſummum vero imperi tribunal, adhi-

(*) Meditat. ad I. P. Art. V. §. 56. not. e. p. 785.

(**) l. c. pag. 16.

adhibitis bonae interpretationis regulis, vel alterutri, vel neutri parti in lege interpretanda calculum adiicit suum, atque in caussa, prouti aequum rectumque visum fuerit, pronunciat; non sine ratione metuendum foret, ne saepissime cursus iustitiae, qui tamen neutiquam impediri debet, sistatur, maximique salutaris ceteroquin, si intra recti vsus limites contineatur, & libertati statuum imperii admodum proficui remedii abusus oriantur, ad quos tollendos nihil aliud superest, quam vt ii, qui in sententia tribunalis eiusque interpretatione doctrinali acquiescere nolunt, ad ordinaria remedia Reuisionis vel Supplicationis ablegentur.

§. XXIV.

Secundum in hac classe locum assignamus casui, si partes, de iure contendentes, diuersae sint religionis & paritas votorum inter assessores vtriusque religionis existat, ita quidem, vt omnes Catholici in vnam, A. vero C. addicti in contrariam abeant sententiam. Quia enim eiusmodi dissensus facile posset excitare suspicionem, magis in suffragando respexisse assessores ad religionem, quam ad iustitiam caussae, ratio est in promtu, cur res in comitiis tunc sit componenda. Immo hoc aeque, ac superiori casu, tribunalia ex officio quoque, etiamsi partes nihil mone-

Secundum, vbi paritas votorum inter vtriusque religionis assessores existit.

monerent, cauſſam ad comitia remittere iubentur per I. P. Art. V. §. 55. (*).

§. XV.

Tertium banni decernendi.

Tertium locum hic occupet caſus banni decernendi, vbi ſecundum expreſſam diſpoſitionem Capitulationis Caeſ. Art. XX. cauſſa quidem criminalis in ſummis imperii tribunalibus inſtrui, ſed in comitiis per ſententiam, ab Imperatore & vniuerſis Germaniae proceribus approbatam, tandem debet definiri (**). Quae Recurſus ad comitia ſpecies, ſi qua vnquam, originem ſuam haud dubie ad antiquum illud iudicium procerum, ſiue parium curiae refert, cuius in antecedentibus fecimus mentionem (***).

§. XVI.

Secunda claſſis complectitur caſus, tacite permiſſos, qui maiori numero variis ex cauſſis occurrunt.

Longe ditior affluentiorque caſibus eſt claſſis altera, vbi querelae de minus recte adminiſtrata iuſtitia nobis occurrunt. Quod eo minus mirum videri debet, quo magis conſtat, vel raro, vel nunquam vtrumque litigantium con-

(*) Conf. AVCTOR *Meditat. ad I. P. W.* h. l. Add. HOFFMANN, l. c. cap. IV. §. 5.

(**) Conf. Perill. Dn. LVD. BERNH. L. B. DE ZECH in Diſſ. de *proſcriptione ſtatuum imperii R. G.*

(***) Vid. Dn. ESTOR in Libello de *iudiciis principum fundamento & radice pronocationis, vulgo Recurſus ad comitia.*

contentum esse sententia, a iudice, ad quem caussae decisio spectat, lata, sed plerumque victum, vt moras nectendo nouumque victori negotium facessendo executionem rei iudicatae impediat, de iustitia male administrata queri. Notum praeterea est, quam solertes atque ingeniosi sint caussarum patroni ad excogitandas varias artes fraudesque, quibus saepe res clientum suorum deperditas restituere satagunt, si vel desperatissimum etiam ipsis perfugium ope & consilio suo debeant suppeditare. Plura quoque tacita legis permissione, quam expressa, sibi licere, facile sibi persuadent homines, quorum actionibus conatibusque legis obstat prohibitio. Variis hinc conclusionibus legem alteram ex altera explicant, atque in rem suam, per longiores licet anfractus & circuitus, flectere student.

§. XVII.

Leges imperii, ex quibus tacita Recursus permissio elicitur, adducuntur.

Leges, quae vltra expressam concessionem atque dispositionem antea memoratam Recursui ad comitia fauere videntur, duae potissimum adferri atque vrgeri solent. Altera petitur ex I. P. O. Art V. §. 56. per quem clare sancitum est, vt *in aulico non minus, quam in camerae imperialis iudicio, priuilegium primae instantiae, Austregarum, iura & priuilegia de non appellando statibus imperii illibata sint, nec per mandata, aut commissiones,*

aut auocationes, aut quouis alio modo turbentur. Quae omnia in Capitulat. Caes. Art. XVIII. §. 4. sq. repetuntur. Altera lex ex Capitulatione Caes. Art. XVI. §. 16. arcessitur, vbi verba ita habent: *Was auch einmahl in erstgedachten vnserem Reichshofrath oder Cammergericht in iudicio contradictorio, cum debita caussae cognitione,* ordentlicher Weiss *abgehandelt und geschlossen ist, dabey soll es förderst allerdings verbleiben, vnd nirgend anders, es sey dann durch den ordentlichen Weg der in oftermeldten Friedensschluss beliebter, vnd nach dessen Art. V. §.* quoad processum iudiciarium, *anstellender Reuision oder Supplication von neuem in Cognition gezogen.* Addi quoque tertio loco hic potest Decretum commissionis Imper. MDCCXV. d. IV. Sept. publicatum. (*) Quamuis enim Imperator initio ibi admodum improbet Recursum ad comitia in caussis iustitiae; in fine tamen, illum non plane praeclusum statibus imperii, sed apertum esse, vult; *auf den Fall, da deroselben einig erhebl. Beschvverden vvieder dero höchste Reichs-Gerichte oder deren besondere Glieder mit rechtem Grund geziemend beygebracht vverden vvolten.* Si denique, cum Ill. RECHENBERGIO (**), a libertate coram mandatariis imperii, commissariis scilicet came-

(*) Quod habes in *Elect. iur. publ.* T. IX p. 62. & apud MOSERVM in der Betrachtung des Recurses c. II. §. 59.

(**) l. c. pag. 27.

camerae ſtatariis, conquerendi ad poteſtatem perferendarum querelarum ad ipſum mandantem, ſ. ad comitia, fas ſit argumentari, locus quoque ex ordinatione camer. P. I. Tit. 50. huc trahi poterit, ne quid de aliis dicam.

§. XVIII.

Concluſiones, ex legibus allatis formatae, ad plures caſus ſpectant.

Ex his omnibus autem infertur, quandocunque manifeſta legum violatio poſſit oſtendi, & ſumma imperii tribunalia vel negatae, aut protractae iuſtitiae poſtulari, atque accuſari queant, quod vel iurisdictionem vltra competentiam extenderint, vel Auſtregarum inſtantiam poſthabuerint (*), vel in modo procedendi, aut exequendi peccauerint, vel alias iuribus ac priuilegiis ſtatuum, quae ipſis vel vigore legis, vel iure conſuetudinis & obſeruantiae, competunt, vlla ratione derogauerint, poſſe, hiſce caſibus exiſtentibus, grauatos grauamina ſua in comitiis proponere.

§. XIX.

Qui in theſi minus dubii habent, quam in hypotheſi.

In theſi quoque, vt loqui mos eſt, caſus memorati nulli videntur dubitationi eſſe obnoxii, quandoquidem nihil tam naturale eſt, quam vt querelae, contra iudices exortae, ad illum fontem perferantur, vnde omnis ad illos, quam

(*) *Recurſum ad comitia imperii vniuerſalia, ob ſtatibus imperii Auſtregarum denegatam inſtantiam,* peculiari ſchediaſmate ſiſtit BERNH. FRIED. RVD. LAVHN, Vinariae 1738. edito.

quam nomine Imperatoris & imperii exercent, iurisdictio promanauit (*). In hypothesi vero determinare, quaenam exempla sub hoc vel illo casu comprehendi queant, hoc opus, hic labor est.

§. XX.

Caussa potissima frequentis ad comitia Recursus a cessantibus Visitatorum functionibus repetitur.

Quantacunque etiam existimatione, virtute ac iudicandi facultate, polleant summorum in imperio R. Germanico tribunalium assessores; quum homines tamen sint, humani aliquid ipsis quoque accidere posse, nemo facile negabit. Quod quum probe perpenderint Imperator & status imperii; non ita ipsis iuris dicundi auctoritatem tribuerunt, vt se simul suprema inspectione & omni arbitrio circa caussas iustitiae abdicarent; quin potius pro tuendis cuiusque iuribus certiusq. asserendis comitia repraesententatia, siue commissarios statarios, Visitatorum nomine notos, deputarunt, qui querelas contra sententias audirent, earumque iniquitates non minus corrigerent, quam defectibus ac morbis iudicii medicinam pararent (**). Optimo sane con-

(*) Id enim esse, quis dubitet, quod vult R. I. nouiss. §. 165. An Ort und Enden, wo es sich nach Inhalt der Reichs-Satz- und Ordnungen gebühret etc. Scilicet comitia hic intelligi, nullum est dubitum, quum, ad ea reformationem iustitiae spectare, tot Recessus imperii & acta comitialia doceant. Conf. *Quinquertium camerale* Qu. II. §. 79.

(**) Conf. ord. cam. de 1555. p. I. Tit. 50. §. 1. & p. III. Tit. 57. §. 1. Add. Visitations-Abschiede de ao. 1531. vsq. ad annum 1600. R. I.

consilio, quod probe animaduertit LIMNAEVS (*), hoc remedium tam intuitu ipsorum iudicum, quam respectu litigantium, a maioribus introductum est; siquidem illi, dum norunt, acta post latam sententiam reuideri, maiore diligentia examinant cuncta & accuratius pensitant, hi vero securi esse queunt, etiamsi priores iudices aliquid neglexerint, cura tamen posteriorum id restitutum, atque iniquum tandem aliquando ad aequum iri reductum. Verum enim vero, quum superiorum historia temporum nos satis edoceat, deputationes atque visitationes illas, licet sapienter institutas olim, dudum tamen desiisse atque in desuetudinem abiisse, quidquid demum in caussa fuerit (**); mirandum non est, deficiente remedio iuris in melius reformandi ordinario, laesos sententiisque grauatos in subsidium ad ipsa imperii comitia frequenter recurrisse.

§. XXI.

R. I. nouiss. §. 128. sqq. Edictum Caesar. de ao. 1668. apud FABRVM in der Staats-Cantzeley, T. V. p. 202. sq. Recess. visit. nouiss. de ao. 1713. Add. qui de visitationibus tum ordinar. tum extraord. fusius agit, HENR. HENNIGES *de summa Imperator. Rom. potest. circa profana* c. 2. § 68. & PFEFFINGER in *Vitriar. illustr.* L. III. Tit. X. §. 12. not. c. T. III. p. 708 item *Quinquertium camerale*, Quaest. II. & IV.

(*) *In iure publ.* L. IX. c. 2. n. 103.

(**) Rationes huius rei adfert LIMNAEVS l. c. n. 198. Add. NOLDEN de *Nobilit.* c. IX. n. 227. TEXTOR de *Rat. status Germ.* p. 476. LVDOLPH *de iure cam* p. 326. Add. Celeberr. KOELERI nostri Teutsche Reichs-Historie, pag. 639.

§. XXI.

Quarum restauratione per Capitulationem nouiss. Recursus restringendus est.

Ne autem conuentus, negotiorum publicorum caussa potissimum instituti, tandem faciem iudicii super-Supplicationis, aut super-Reuisionis, vt ita dicam, in caussis priuatis induant, prudenti consilio natis inde abusibus medela quaesita est in Capitulatione nouissima per deputationes imperii visitationesque proxime restaurandas (*).

§. XXII.

Non tamen inde plane illum sublatum esse, ex aliis Capitulationis locis probatur.

Sicuti tamen haec ipsa dispositio modum tantum poni vult Recursui ad comitia (**); ita dici nequit, per eam omnem plane Recursum esse sublatum. Vt enim taceam, quoad casus, legibus imperii expressos, quos supra recensuimus, nihil prorsus hic immutari, atque hinc locum habere, quod alias ICti in ore habent, quae abrogata non sunt, stare cur prohibeantur, contrarium etiam, quod ad reliquos casus, tacite permissos, attinet, ex ipsa Capitulatio-

(*) Vid. Art. XVII. §. 3. sqq. vbi de visitatione camerali, & Art. XXIV. §. 6. sq. vbi de visitatione iud. imp. aul. quae per Instrum. pacis Osnabr. Art. V. §. 55. Electori Moguntino mandata est, agitur. Conf. Illustriss. AVCTOR des *Europ. Herolds* P. I. p. 200. v. 6.

(**) Verba Capitulationis l. d. sunt clara: auch denen in letzteren Zeiten in Ermangelung des Remedii Reuisionis ad Comitia genommenen Recursibus Ziel und Maaß zu setzen ist rc.

tione nouiſſima Art. XIII. §. 6. & 8. ſatis adparet. Ibi enim Imperator expreſſe pollicetur, ſe Archicancellarium Moguntinum, tanquam directorem imperii, non impediturum eſſe, quo minus grauamina & deſideria ſtatuum admittat, quin potius curaturum, vt ipſe munere ſuo directoriali per dictaturam, quae vocatur, ſine mora in illis ad collegia procerum imperii deferendis, rite fungatur, neque querentes temere a limine comitiorum repellat.

§. XXIII.

Nec Recurſum limitatum auctoritati imperatoriae officere, aſſeritur.

Neque temere quis adfirmare auſit, Recurſum hunc ad infringendam, aut diminuendam maieſtatem imperatoriam quidquam facere, quum, ad eam extollendam augendamque illum e contrario multum conferre, haud ſpernendis rationibus iam ab aliis fuerit euictum (*), nihilque obſtet, quo minus, vt verbis ſtrenui iurium maieſtaticorum aſſertoris (**) vtar, *aeque Imperatoris maieſtatem cum Germaniae comitiis ſtare poſſe, dicamus, ac libertatem cum ipſa maieſtate.* In ſuos tamen Recurſum cancellos redigendum, abuſus euitandos, & friuole Recurrentes coercendos eſſe, facile quilibet largiturus eſt.

§. XXIV.

(*) Vid. *Selecta iuris publ. nouiſſima*, P. I. c. 1. von dem Comitial-Recurs und ob derſelbe Ihro Kayſerl. Majeſt. allerhöchſten Anſehen und Gewalt zu entgegen oder nicht? Add. Append. apud ESTOR. l. c. §. 36.

(**) MVLZ. *In Maieſtate imperat. iuri ſuo aſſerta* P. I. c. 13. §. 2.

§. XXIV.

Nec omnia grauamina statuum a visitatoribus restitutis examinari possunt, sed in comitiis proponi debent, quoties in statum publicum influunt.

Quantumuis etiam vtiles ac salutares futurae sint reip. Germ. visitationes atque reuisiones per visitatores, si quando reuiuiscant, instituendae; non omnia tamen statuum grauamina sic comparata sunt, vt sine discrimine a reuisoribus examinari atque diiudicari queant. Neque enim omnes eorum controuersiae intra terminos caussae priuatae subsistunt, sed subinde statum publicum, si non directe, saltem per indirectum, vt aiunt, attingunt. Quoties igitur accidit, vt membra imperii ita grauentur ab alterutro summorum dicasteriorum, vt grauamen iura statuum communia & sic ipsum statum publicum tangat, toties grauatis apud constatus suos per Recursum ad comitia auxilium quaerere sine dubio integrum adhuc fuerit, quo damnum commune auertatur. Contingit autem eiusmodi grauamen, vbi leges imperii fundamentales, quae Imperatorem & status imperii vi pacti obligant, per iudicata summornm tribunalium violantur, qualis violatio adest, quotiescunque iura, statibus per leges imperii tributa, vel iure obseruantiae competentia, vel plane ipsis auferuntur, vel saltem imminuuntur. Nec quisquam hic obiiciat, ita quamuis caussam priuatam facile in publicam commutari posse, cum haud difficile sit statibus, potentioribus praesertim, ceteros in partes suas trahere, variisque rationibus, vt communem caussam faciant, commouere. Quod enim per accidens fit & vitio eorum, qui remedio alias licito abutantur, id non potest legitimo eiusdem vsui esse impedimento.

§. XXV.

§. XXV.

Caute tamen hic procedendum, nec sine discrimine Recursum admittendum esse, lubens largior, ob ipsum, qui hic sese saepius exserit, abusum, & quoniam plerumque caussa cadentes, sub variis praetextibus, sententias summorum tribunalium impugnant, & vel defectum in modo procedendi vel violationem priuilegii obtendunt. Dispiciendum igitur ante omnia est, reuerane contra iura statuum aliquid in iudicando fuerit admissum, an apparenter solummodo peccatum. Si enim, vt hoc vtar, de quo frequentius disputari solet, ius Austregarum, principi imperii competens, ipsi plane & quidem in caussa petitorii fuisset negatum, quod subinde factum esse exempla doceant (*); dubitandum non foret, quin possit in comitiis inde conquerendi ansam arripere, ob violatum priuilegium primae instantiae, statibus immediatis ideo concessi, ne deterioris conditionis fierent; ac quilibet ciuis mediatus, cui ius suum in caussis saepe multo minoris momenti per plures instantias persequi licet (**). Sin contra in speciali solum

Magna tamen hic cautela est opus, ne promiscue Recursus admittatur.

(*) Vid. COCCEIVS de *Abusu mandatorum* S. C. T. II. Diss. 64. VFFENBACH de *iudicio Caes. aul.* c. 15. LVDOLPH. *de iure cam.* p. 203. sq. Perill. CRAMER in diss. bonae frugis plena *de Austregis conuentional. in caussis mandatorum sine clausula non cessantibus*, Opusculor. T. I. N. XV.

(*) Quae inaequalitatis ratio potissimum Austregarum foro caussam dedit, vt patet ex priuilegio Norimb. apud WEHNER in Tr. *de modo appell. in Cam.* cap. VII. n. 34. in GYLMANNI *Symphor.* T. VII.

lum aliquo casu, vbi de possessione tantum litigiosa quaestio est, & positis eiusmodi *facti*, vt aiunt, *qualificati nulloque iure iustificabilis vel iustificandi* circumstantiis, quae (*) moram non ferunt, sed celerrimam requirunt expeditionem, & hinc, posthabita instantia Austregali, quippe quae vinculum iniquitatis fieri non debeat, initium ad praecauendas turbas, auertendum armorum periculum & laesionem pacis publicae, a praecepto s. mandato S. C. facere permittunt (**), opposita fori exceptio esset reiecta, res vero ipsa dubii adhuc aliquid haberet, tunc ei, qui per sententiam paritoriam, non attentis exceptionibus sub- & obreptionis factique contrarii, latam, grauatum se existimaret, sine dubio remedio tantum ordinario Reuisionis foret vtendum, praesertim, si non de possessorio summarissimo, sed ordinario disceptetur (***).

§. XXVI.

Distinctio inter sententiae iniquitatem & nullitatem rem non conficit.

Num vero rem acu tetigerint, qui, circa distinctionem inter grauamina in comitiis examinanda & a Reuisoribus excutienda eo respiciendum esse, putarunt, vtrum vnice de

(*) Vid. Ord. Cam. P. II. Tit. 23. § 23. & Tit. 25.

(**) Conf. LVDOLPH de *iure Cam.* Sect. I. §. 10. MOSER Einl. zum R. H. Proceß P. I. cap. I.

(***) Vid. MOSER l. c. §. 15. item in Tr. de *Reuis.* Sect. III. §. 1. & in *Miscell. iurid. Hist* P. 2. p. 351. Add. LVDOLPH *in proc. cam.* p. 38. vbi, Austregarum instantiam per Commissiones Caesareas, Rescripta & mandata S. C. fere penitus absorberi, sine dissimulatione fatetur.

de iniquitate ſententiae quaeratur, poſt diligentem cauſſae diſcuſſionem, & ſatis iam vtrimque auditis partibus, publicatae, an ſententia vitio nullitatis laboret, atque vel ex perſona iudicis & recuſati ſenatus, vel ob defectum in ſubſtantialibus proceſſus impugnetur (*), equidem non video. Cur enim poſteriori caſu non aeque, ac priori, remedium Reuiſionis actorum ſufficiens ſit ad ſententiam per Reuiſores, ſi viſitationes reuixerint, in melius reformandam, haud adparet, quum viſitatoribus non minus morbos iudicii curare & defectus, quos forte in modo procedendi animaduerterint, emendare, quam iniquas ſententias corrigere, incumbat.

§. XXVII.

Sane, ſi de interpretatione legum imperii authentica ſermo ſit, aut iura, quae vniuerſis imperii ordinibus indubie competunt, in diſcrimen vocentur, tunc plane aliter dicendum erit; quia temere praeſumi nequit, ipſos iuri ſuffragii ſuper eiusmodi negotiis imperii, ſine praeſcitu comitiali neutiquam ſuſcipiendis, renunciaſſe illudue in alios transtuliſſe. Nam viſitatores legislatoria poteſtate, cuius etiam partem eſſe legum interpretationem, iam ſupra dictum eſt, praeditos eſſe, ſalua Imperatoris & ſtatuum imperii auctoritate, adfirmari nequit. Saltem Inſtrumentum pa-

Limitatio hic adhibetur in caſu legum interpretandarum atque emendandarum.

(*) Vid. *Selecta iur. publ. nouiſſ.* P. III. c 8. von den Reichs-Cammer-Gerichtl. Viſitationen, und was dahin zuziehen.

pacis Osnabr. Art. VIII. §. 2. hac de re aliud prorſus diſponit, ſtatibusque imperii *ius ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis imperii*, *praeſertim, vbi leges ferendae, vel interpretendae, ſine contradictione* adſerit, atque *nihil horum, niſi de comitiali liberoque omnium imperii ſtatuum ſuffragio & conſenſu fieri*, *vel admitti* debere, diſertis verbis ſancit. Ipſa quoque Capitulatio nouiſſima Art. XVII. §. 9. ſenatui primo viſitatorum, peracta quidem viſitatione, etiam ſecundum Receſſum Imperii nouiſſimum negotium reuidendae emendandaeque ordinationis cameralis committit, ſed ſimul ipſum hac de re, vt pote ad poteſtatem legislatoriam ſpectante, ad totum imperium, cuius quoque ſententia ſecundum Art. XXIV. §. 5. ſuper emendatione ordinationis iud. Caeſ. aul. exquirenda eſt, referre iubet.

§. XXVIII.

De admiſſione vel reiectione Recurſus quis iudicet?

Ex dictis facile, puto, conſtabit, per reſtaurationem viſitationum imperii abuſui Recurſus in controuerſiis ſtatuum mere priuatis obicem poni, vſum vero eius non penitus tolli. An autem grauamen ita ſit comparatum, vt inde violatio legum imperii & iurium ſtatuum adpareat, nec ab opinione Recurrentis ſola, nec a determinatione iudicii, vnde recurritur, nec a ſolo Imperatoris arbitrio, aut deciſione vnius alteriusue collegii pendet, ſed maioribus omnium ordinum, qui non ſolum in communionem publicorum conſiliorum, ſed etiam imperii conſortionem re-

recepti pro ſalute communi excubias agunt, votis definiri debet. Quando enim hi in cauſſa, quae ad omnes redundat, ſe per iudicatum Caeſareum laeſos credunt, tunc inter eos atque Imperatorem de limitibus ſummae poteſtatis lis oritur, cuius deciſio pertinet ad comitia.

§. XXIX.

Nullis fatalibus Recurſus eſt adſtrictus.

Ceterum Recurſum huncce, quippe quo per modum ſimplicis querelae tantum vtuntur grauati, intuitu introductionis non, vt Appellationem, vel aliud remedium iuris, fatalibus certis ac terminis praecluſinis adſtrictum, ſed pro introducto habendum eſſe, ſimul ac grauamina cum iis communicata ſunt, quorum ſupremae inſpectioni imperii tribunalia ſubiacent, extra dubitationis aleam poſitum eſt (*).

§. XXX.

Nec ſolennem probationem requirit.

Neque veritas grauaminum ad fundandum Recurſum ſolenni probatione, qualis in foro contentioſo requiritur, & qualem non fert ratio comitiorum, opus habere, ſed demonſtratio ſaltem, quam in iure vocamus, per documenta iudicialia tranſumta ſufficere cenſetur (**).

§. XXXI.

(*) Vid. *Electa iur. publ*, T. X. pag. 600. & *Selecta iur. publ. nouiſſ.* p. 1. § 4.

(**) Vid. GVNDERRODE, l. c. §. 12. ibique MOSERVS.

§. XXXI.

Qualem effectum habeat Recursus, disputatur.

An vero per Recursum executio sistatur, plus dubii videtur habere. Aientem amplectentes sententiam vrgent, ob hanc ipsam caussam praecipue ad comitia grauatos omnique alio destitutos iuris auxilio confugere, quia nondum de iustitia sententiae, a summis imperii tribunalibus latae, constet. Vnde spe melioris iuris consequendi plane frustrarentur Recurrentes, si ante vlteriorem caussae discussionem illa statim executioni daretur. Qui contra denegant Recursui hanc suspendendi vim, ab ipsa Reuisione, in cuius tamen subsidium tantummodo huc vsque plerumque fuit adhibitum istud vltimum remedium, argumentum ducunt, atque ad Recessum Imp. nouiss. §. 124. pariter, ac Capitulat. Caes. Art. XVII. §. 2. prouocant, vbi nec Reuisioni effectus suspensiuus, sed deuolutiuus solum tribuitur, parte victrice interea ad cautionem, si forte succumbat deinde, admissa.

§. XXXII.

Ante inhibitionem executio, non obstante Recursu, procedit.

Nec suis destituuntur rationibus, qui sic argumentantur, quum litium immortalitati & remoris iustitiae illis ipsis constitutionibus imperii obuiam itum fuerit. Nec quidquam adeo aliud operabitur Recursus, si quoque admittatur in comitiis, quam deputationem extraordinariam, quae nomine Imperatoris & imperii acta inspiciat, factum examinet, caussam diiudicet & vitium, vel inprocedendo, vel iudicando forte

com-

commiſſum, emendet. Certe, antequam inhibitio comitialis ſequatur Recurſum, Directores circulorum, quibus executio fuit mandata, inoffenſo pede in exequendo pergere queunt. Hinc, ſi hoc impedire velit Recurrens, prima eius cura eſſe debet, vt poſt exhibita grauamina ſua inhibitoriales, vti vocantur, impetret. Sed plura de hac materia iam addere & ſcriptionis huius cancelli, & temporis anguſtiae vetant. Quare hic ſubſiſto & ad ipſa collegia, quorum indicandorum cauſſa haec ſcripſi, me conuerto.

*** *** ***

Iam vero intellixiſtis, Generoſiſſimi Nobiliſſimique Commilitones, amor ac delicium noſtrum, ex publico lectionum catalogo nuper typis exſcripto, cum publicas operas, meas, tum priuatas, quas per inſtantem hiemem ſtudiis veſtris dicaui. Nihil igitur nunc ſupereſſe, video, quam vt breuiter hic vobis exponam, quibus horis quaue ratione ſingulas ſim expediturus. *Epilogus Collegiorum hibernorum index.*

Scilicet publicis praelectionibus deſtinata manet hora pomerid. III. qua ad ductum Celeberr. ENGAVII, *ius Germ.* tradere conſtitui, quod non ſine magno ſtudioſorum damno negligi plerumque ſolet, non minus tamen iis neceſſarium eſt, quam ſtudium iurium peregrinorum, niſi eiusdem contumeliae participes fieri aliquando velint, qua velut tractus demum, Seruius operam dediſſe legitur iuri ciuili, poſtquam obiurgatus eſſet a Q. Mutio, qui dixit: *turpe eſſe patricio & nobili & cauſſas oranti ius, in quo verſaretur, ignorare.*

Pri-

Priuatim hora mat. X. *ius publicum imperii Rom. Germ.* docebo, praeeunte Ill. Mascovio, praeceptore olim meo exoptatiſſimo, quem ducem mecum ſecutos eſſe, eo minus Vos poenitebit, quo planiorem in proponendis, ſolidiorem in confirmandis, ſolertioremque in illuſtrandis *Principiis* ſuis deprehendetis. Ita vero in illorum explanatione verſabor, vt non tam hiſtoriae antiquae, ample ſatis iam ab ipſo auctore excuſſae, immorari, quam ea potius vberius explicare ſit animus, quae ad iuris diſciplinam pertinent & hodie adhuc in ipſis rerum obtinent argumentis. Quare nuperas inprimis mutationes accurate percenſebo & vbique digna memoratu ex Capitulatione nouiſſima ſuppeditabo, memoriam veſtram annotationibus calamo excipiendis ſubleuaturus.

Eodem ſubſidio veſtram iuuabo diligentiam in explananda Strvvii *iurisprudentia Roman. Germ. forenſi* ad quam hora XI. commentabor.

Reliquum operae mancipatum eſt auditoribus ſelectionibus, qui vel, Excellentiſſ. conſultiſſimoque Hommelio duce, rei iudiciariae felici cum ſucceſſu ſe aſſuefacere, & ad expeditam actorum forenſium lectionem atque non tam cauſſas orandas in foro, quam ad iuſtas de illis ſententias ferendas animum praeparare, vel ingenium diſputando exercere cupiunt.

Fiet, auſpice Deo, lectionum noſtrarum initium proximo die Lunae. Quibus vt frequentes adeſſe, & aſſidui intereſſe velitis, Commilitones ſuauiſſimi, humaniſſime Vos rogo. P. P. d. XIX. Octobr. cIↄIↄCCXLIII.